

misericordiam tuam et veritatem tuam non celavi a congregatione multa, ab Ecclesia unitatis orbis terrarum : attende membra saucia, attende delictores et peccatores, et noli removere misericordias tuas. « Misericordia tua et » veritas tua semper susceperunt me. » Non auderem converti, nisi securus de remissione : non durarem perseverare, nisi securus de promissione. « Misericordia tua et » veritas tua semper susceperunt me. » Attendo quia bonus es; attendo quia justus es : amo bonum, timeo justum. Amor et timor perducunt me : quia, « Misericordia et veritas tua semper susceperunt me. » Quare ipsa suscipiunt, et ab eis oculus avertendus non est? « Quoniam circumderunt me mala, quorum non est numerus¹. » Quis numerat peccata? quis numerat iniquitates alienas et proprias? Sub quo cumulo gemebat qui dicebat : « Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo²? » Parva erant nostra, imponuntur aliena : timeo mihi; timeo bono fratri, tolero malum fratrem : et sub isto cumulo quid erimus, si cesset misericordia Dei? « Tu » autem, Domine, ne elonginquaveris. » Prope esto. Cui prope est Dominus? His qui obtriverunt cor³. Longe a superbis, prope ad humiles. Excelsus est enim Dominus, et humilia respicit⁴. Sed non se putent latere qui superbi sunt : « Excelsa enim a longe cognoscit. » Cognoscebat a longe jactantem se Pharisæum, subveniebat de proximo confidenti Publicano⁵. Jactabat ille merita sua, et tegebat vulnera sua : non jactabat ille merita, sed offerebat vulnera, Ad medicum venerat, sciebat se languidum, sciebat se sanandum : oculos ad cœlum levare non audebat, pectus percutiebat : sibi non parcebat, ut ille parceret ; se agnoscebat, ut ille ignosceret ; se puniebat, ut ille liberaret.

¹ Psal. xxxix, 13. — ² Id. xviii, 13. — ³ Id. xxxiii, 19. — ⁴ Id. cxlvii, 6. — ⁵ Luc. xviii, 11.

Tales hic voces sunt, audiamus eas pie, et amemus pie : corde, lingua, omnibus medullis nostris hæc dicamus. Nemo se justum putet, vivit qui loquitur, vivit, et utinam vivat. Adhuc hic vivit, adhuc cum morte vivit : et si spiritus vita est propter justitiam, corpus tamen mortuum est propter peccatum¹. « Et corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum » multa cogitantem². » Pertinet ergo ad te clamare, pertinet gemere, pertinet confiteri, non te exaltare, non te jactare, non te tuis meritis gloriari : quia etsi habes aliquid gaudendum, quid est quod non accepisti³? « Quoniam » circumdederunt me mala, quorum non est numerus. »

XXI. « Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem⁴. » Est aliquid quod videamus : qui premit ut non videamus? Nonne iniquitas? Oculum tuum ne istam lucem videre posses, premebat fortassis humor irruens, premebat fortasse fumus, pulvis, aliquid injectum ; et levare oculum saucium non poteris ad istam lucem : quid ergo, cor saucium levabis ad Deum? Nonne prius sanandum est ut videas? Nonne superbus inveniris, cum dicis : Primo videam, et sic credam? Quis dicit? Quis enim visurus dicit : Videam, et sic credam? Lucem ostensurus sum, imovero ipsa se lux ostendere vult. Cui? Cæco non potest, non videt. Unde non videt? Gravato oculo multis peccatis. Quid enim ait? « Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem. » Removeantur ergo iniquitates, dimittantur peccata, levetur pondus ab oculo, sanetur quod saucium est, adhibeatur mordax præceptum quasi collyrium. Prius effice quod tibi præcipitur : sana cor, munda cor, dilige inimicum tuum⁵. Et quis diligit inimicum suum? Hoc jubet medicus, amarum est, sed

¹ Rom. viii, 10. — ² Sap. ix, 15. — ³ I Cor. iv, 7 — ⁴ Psal. xxxix, 13. — ⁵ Matth. v, 44, et Luc. vi, 27 et 35.

salubre. Quid tibi faciam, inquit? Ita vexatus es, ut inde saneris. Et plus dicit: Sanato non erit onerosum, voluptuose diliges inimicum sanatus; conare tu ut saneris. In tribulationibus, in angustiis, in tentationibus fortis esto, perdura: medici manus est, non latronis. Ecce, inquit, præceptis acceptis, et fide retenta, prius sicut jubes sanabo cor, ut dicis: sanato corde et mundato corde quid videbo? « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt¹. » Hoc modo, inquit, non possum. « Comprehenderunt me » iniquitates meæ, et non potui ut viderem. »

XXII. « Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei². » Capillos capitis ad numeri multitudinem revocat. Quis numerat capillos capitis sui? Multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, sed multa sunt. Præcavisti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemias, non dicis falsum testimonium: moles istæ sunt peccatorum. Magna præcavisti, de minutis quid agis? Annon times minuta? Projecisti molem, vide ne arena obruaris. « Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. »

XXIII. « Et cor meum dereliquit me. » Quid mirum est, si cor tuum desertum est a Deo tuo, quando se ipsum deseruit? Quid est: « Cor meum dereliquit me? » Non est idoneum cor meum ad cognoscendum se. Hoc dixit: « Cor meum dereliquit me. » Corde meo Dominum volo videre, et non possum, præ multitudine peccatorum meorum: parum est, nec cor meum se comprehendit. Nemo enim se comprehendit, nemo de se præsumat. Numquid comprehendit corde suo cor suum Petrus, qui dixit: « Tecum usque ad mortem ero³? » In corde erat præsumptio falsa, in corde latebat timor verus: et non erat idoneum cor ad comprehendendum cor. Cor ægrotum latebat,

¹ Matth. v, 8. — ² Psal. xxxix, 13. — ³ Matth. xxvi, 35.

sed medico patebat. Quod de illo pronuntiatum est, hoc impletum est. Noverat in illo Deus quod in se ipse non noverat; quia cor ejus dereliquerat eum, cor ejus latebat cor ejus. « Et cor meum dereliquit me. » Quid ergo? quid clamamus? quid dicimus? « Placeat tibi, Domine, eruere » me¹. » Tanquam diceret: « Si vis, potes me mundare². Placeat tibi eruere me, Domine, in adjuvandum mihi respice. » Membra pœnitentia, membra in doloribus posita, membra sub ferramentis medici clamantia, sed sperantia. « Domine, in adjuvandum mihi respice. »

XXIV. « Confundantur, et reveantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam³. » Quodam enim loco accusat, et dicit: « Aspiciebam in dexteram, et videbam, et non erat qui requireret animam meam⁴: » id est, non erat qui me imitaretur. Christus in passione loquitur: Et attendebam in dexteram, id est, non ad impios Judæos; sed ad ipsam dexteram, ad ipsos Apostolos. « Et non erat qui requireret animam meam. » Usque adeo non erat qui requireret animam meam, ut qui præsumpserat, negaret animam meam⁵. Sed quia duobus modis quæritur homo, aut quo fruaris, aut quem persequaris, ideo hic alios dicit, quos vult confundi et revereri, qui quærunt animam suam. Sed ne sic intelligeres, quomodo cum quæritur de nonnullis non quærentibus animam suam: « Ut auferant eam, » inquit; id est, ad mortem quærunt animam meam: adjecit, « Confundantur, et reveantur. » Et vere multi quæsierunt animam ipsius, et confusi et reveriti sunt: quæsierunt animam ipsius, et sicut illis visum est, abstulerunt animam ipsius; sed ille potestatem habuit ponendi animam suam, et potestatem habuit recipiendi animam suam⁶. Ergo illi gavisi sunt cum posuit, con-

¹ Joan. x, 18. — ² Psal. xxxix, 14. — ³ Matth. viii, 2. — ⁴ Psal. xxxix, 15. — ⁵ Psal. cxli, 5. — ⁶ Matth. xxvi, 70.

fusi sunt cum recepit. « Confundantur, et reveantur » simul, qui quæerunt animam meam ut auferant eam. »

XXV. « Convertantur retrorsum, et reveantur, qui » volunt mihi mala¹. Convertantur retrorsum : » nec hoc in malum accipiamus. Bene illis optat ; et vox illius est qui dixit de cruce : « Pater ignosce illis, quia nesciunt quid » faciunt². » Quare illis ergo dicit, ut retrorsum redeant? Quia qui ante superbi erant ut caderent retro, humiles facti sunt, ut resurgant. Quando enim ante sunt, præcedere volunt Dominum, meliores volunt esse quam Dominus : si autem retro sunt, ipsum agnoscunt meliorem, ipsum priorem, se posteriores, ut ille præcedat, illi sequantur. Proinde Petrum male sibi dantem consilium sic redarguit. Passurus enim Dominus erat pro salute nostra, et de ipsa passione quæ futura erant prædicabat : et ait Petrus : « Absit, Domine, propitius tibi esto, non fiet hoc, » Præcedere volebat Dominum, et consilium dare magistro. Dominus autem ut non eum faceret præcedentem, sed sequentem : « Redi, inquit, retro Satan⁴. » Ideo, inquit, Satan, quia vis antecedere eum quem debes sequi : si autem retro fueris, et secutus fueris, jam non Satan. Quid ergo? « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam⁵. »

XXVI. « Convertantur retrorsum, et reveantur, qui » volunt mihi mala. » Malevoli sunt, qui etiam cum benedicunt, quantum in corde eorum est maledicunt. Dicis alicui : Esto Christianus : Sis Christianus, sed tu. Bonam rem dixit, sed non illi imputatur quod dixit, sed quo animo dixit : quomodo imputatum est et Judæis, quando ille ex cæco nato factus est videns : cum eum premerent insultationibus et urgerent, ait illis, « Numquid et vos » Discipuli ejus vultis esse? » Et illi maledixerunt ei. Hoc

¹ Psal. xxxix, 15. — ² Luc. xxiii, 34. — ³ Matth. xvi, 22, 23 ; et Marc. viii, 32. — ⁴ Matth. xvi, 18.

ait Evangelista : « Maledixerunt ei dicentes : Tu sis discipulus ejus¹. » Illis maledicentibus, Dominus benedixit : fecit quod illi dixerunt, retribuit autem illis quod maledixerunt. « Convertantur retrorsum, et reveantur, qui volunt mihi mala. » Sunt autem alii non boni qui bona volunt, et ipsi cavendi. Quomodo enim illi maledicunt, et dicunt bona nostra, sed malo animo : sic multi mala nostra bono animo. Hoc dico : Qui dixerit tibi, Tu sis Christianus, bonum tuum dicit malo animo : qui autem dixerit tibi ita : Te melior nemo ; si in factis malis, quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur² ; mala tua dicit laudans. Quomodo ille bona tua dicebat maledicens, sic iste mala tua benedicens : sed utrumque genus hostis fuge, utrumque cave. Ille sævit, iste blanditur ; uterque malus : ille iracundus est, et iste in laude subdolus ; ille reprehensor est, iste laudator : sed et ille in reprehensione inimicus est, et ille in laude subdolus. Cave utrumque, contra utrumque ora. Qui enim oravit : « Convertantur retrorsum, et confundantur qui volunt mihi mala : » respexit ad aliud genus dolose malevolum, et falso benedictum : « Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt » mihi, Euge, euge! » Laudant falso, Magnus vir, bonus vir, litteratus, doctus, sed quare Christianus? Ea tua laudant, quæ nolles laudari : illud reprehendunt unde gaudes. Sed si forte dicis : Quid in me laudas, o homo, quia vir bonus, quia vir justus sum? Si hoc putas, Christus me hoc fecit, ipsum lauda. At ille : Absit, noli tibi injuriam facere, tu te ipse talem fecisti. « Confundantur, » qui dicunt mihi, Euge, euge! » Et quid sequitur? « Exultent et jucundentur omnes, qui te quæerunt, Domine³. » Non quæerunt me, sed quæerunt te : non mihi,

¹ Joan. ix, 27, 28. — ² Psal. x, 3. — ³ Id. xxxix, 17.

Euge, euge! dicunt, sed in te me gloriari vident, si quid habeo gloriæ. « Qui enim gloriatur, in Domino gloriatur¹. » Exultent et jucundentur omnes, qui te quærunt, Domine, et dicant semper: Magnificetur Dominus. » Quia etsi ex peccatore fit justus, da gloriam illi qui justificat impium². Sive ergo peccator sit, laudetur qui ad indulgentiam vocat: sive quis jam ambulet in via justitiæ, laudetur qui ad coronam vocat. « Semper magnificetur Dominus, ab his qui diligunt salutare tuum. »

XXVII. « Ego autem: » cui quærebant mala. « Ego autem: » cujus animam quærebant, ut auferrent eam. Sed converte te ad aliud genus hominum. « Ego autem, » cui dicebant: Euge, euge, egenus et pauper sum. » Non est quod in me meum laudetur. Discindat ille saccum meum, cooperiat me stola sua. « Vivo enim jam non ego, vivit autem in me Christus³. » Si vivit in te Christus, et totum quod boni habes Christi est, totum quod habebis Christi est: tu per te ipsum quid es? « Ego egenus et pauper. » Ego autem non dives, quia non sum superbus. Dives erat ille qui dicebat: « Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut cæteri homines⁴: » publicanus autem erat pauper, qui dicebat: « Domine, propitius esto mihi peccatori. » Ille de saturitate ructabat, ille de fame plorabat. « Egenus et pauper sum. » Et quid factururus es, o egene et pauper? Mendica ante januam Dei; pulsa, et aperietur tibi. « Ego autem egenus et pauper sum: Dominus curam habebit mei. Jacta in Dominum curam tuam, et spera in eum, et ipse faciet⁵. » Quid tibi curaturus es? quid tibi provisurus? Habeat tui curam qui fecit te. Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam cum jam hoc es, quod voluit

¹ 1 Cor. 1, 31. — ² Rom. 14, 5. — ³ Gal. 2, 20. — ⁴ Luc. 18, 11-13. — ⁵ Psal. 114, 23.

ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ. Curam tui non habebit, « Qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos¹, » te jam justum ex fide viventem negliget², deseret, dimittet? Imovero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Ille portat qui te fecit: ab artificis tui manu noli cadere: si cecideris a manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit. Dic: Deus meus voluit, et portabit ipse, et tenebit ipse. Jacta te in illum; noli putare inane esse, ut quasi præcipiteris: non ita tibi videatur. Ille dixit: « Cælum et terram ego impleo³. Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse, « Dominus curam habet mei. »

XXVIII. « Adjutor meus et protector meus tu es, Deus meus, ne tardaveris⁴. » Invocat, implorat, timet ne deficiat: « Ne tardaveris, » Quid est, Ne tardaveris? Nisi breviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro⁵, modo lectum est, de diebus tribulationum. Quasi enim unus homo rogat Deum, membra Christi, corpus Christi, ubique diffusum, unus mendicus, unus pauper; quia et ille pauper, qui dives pauper factus est, de quo ait Apostolus, « Cum dives esset, pauper factus est, ut ipsius paupertate vos ditaremini⁶: » veros pauperes ditat, falsos divites pauperat. Clamat ad eum, « A finibus terræ ad te clamavi, cum tæderet animam meam⁷. » Venient dies tribulationum et majorum tribulationum: venient, sicut dicit Scriptura; et quantum accedunt dies, augmentur tribulationes. Nemo sibi promittat quod Evangelium non

¹ Matth. 5, 45. — ² Rom. 1, 17. — ³ Jerem. 23, 24 — ⁴ Psal. 39, 18. — ⁵ Matth. 24, 22. — ⁶ 2 Cor. 13, 9. — ⁷ Psal. 138, 3.

promittit, fratres mei, obsecro vos, attendite Scripturas nostras, si aliquid fefellerunt; si aliquid dixerunt, et aliter accidit quam dixerunt: necesse est, ut usque in finem sic fiant omnia, quemadmodum dixerunt. Non nobis promittunt Scripturæ nostræ in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad ista nos præcipue paremus, ne imparati deficiamus. « Væ prægnantibus et mammantibus¹, » modo audistis. Prægnantes sunt, qui spe intumescunt: mammantes autem, id est, lactantes, qui jam adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filii, nondum videt filium: quæ autem jam lactat, amplectitur quod sperabat. Ergo similitudinem, verbi gratia, ponamus: Bona est ista villa vicini: o si mea esset! adjungerem illam, et facerem de isto fundo et de illo unitatem. Amat et avaritia unitatem: quod amat bonum est; sed ubi amandum sit, nescit. Ecce concupivit villam proximi; sed iste proximus dives est, non indigens, habens honorem, habens etiam potentiam, a cuius forte etiam potentia tibi metuendum sit, non de illius fundo aliquid sperandum: nihil sperans non concipit, non est prægans anima. Si vero juxta vicinus sit pauper, qui vel in necessitate positus est, ut possit vendere, vel premi potest, ut cogatur vendere, injicitur oculus, speratur villa: imprægnata est anima, sperat se posse adipisci villulam et possessionem vicini pauperis. Et cum patitur iste pauper necessitatem, venit ad ditiores vicinum suum, cui forte obsequi solet, cui deferre, cui venienti assurgere, quem inclinato capite salutare: Da mihi, rogo te, patior necessitatem, urgeor a creditore. Et ille: Non habeo modo in manibus. Si vellet vendere, haberet. Agnoscimus hoc: fuerunt in nobis, jam non sint in nobis. Non hesterno

¹ Matth. xxiv, 19.

viximus, et hodie non vivimus; est corrigendi locus; nondum facta est illa disjunctio, aliorum ad dexteram, aliorum ad sinistram¹; nondum apud inferos sumus, ubi dives ille fuit, sitiens et stillam desiderans²: audiamus cum vivimus, corrigamur. Non speremus res alienas, et imprægnati tumeamus; nec perveniamus ad illas, et eas adipiscendo tanquam filios osculemur. « Væ enim prægnantibus et mammantibus illis diebus. » Mutandum est cor, levandum est cor, non hic habitandum corde: mala regio est: sufficiat quod adhuc carne hic esse necesse est: quod non est necesse, non fiat: sufficiat diei malitia sua³: sursum corde habitemus. « Si resurrexistis cum Christo, » (dicit fidelibus, corpus et sanguinem Domini accipientibus dicit:) Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo⁴. » Non enim apparet quod vobis promissum est; et jam paratum est, sed non videtis. Imprægnari vis, hinc imprægnare; ipsa sit spes tua: certus erit partus tuus, non erit abortivus, non temporalis: amplecteris quod pepereris in æternum. Sic enim per Isaïam dicitur, « Concepimus et parturivimus spiritum salutis⁵. » Ergo⁶ retro est, et non datur modo, sed dabitur. Quanta data sunt, fratres mei, quis illa numerat secundum Scripturas? Ibi scriptum est de Ecclesia, et videtur quia est; ibi scriptum est de idolis quia non erunt, et videtur quia non sunt; ibi scriptum est quia perdituri erant Judæi regnum, et videtur; ibi scriptum est de hæreticis quia futuri erant, et videtur: ibi scriptum est et de die judicii, ibi scriptum est et de præmio bonorum, et de pœna malorum: in om.

¹ Matth. xxv, 33. — ² Luc. xvi, 22. — ³ Matth. vi, 34. — ⁴ Coloss. iii, 1-3. — ⁵ Isaï. xxvi, 18. — ⁶ Forte paratum.

nibus Deum fidelem invenimus, in ultimo deficiet et fallit? « Dominus curam habebit mei. Adjutor meus et protector meus tu es, Deus meus, ne tardaveris. Nisi minorarentur dies illi, nulla caro perduraret: sed propter electos breviabuntur¹. » Dies illi erunt tribulationis, sed non tam longi quam sperantur. Cito illi transibunt; requies veniens non transibit. Quanquam longum, ferri debuit malum pro infinito bono.

ENARRATIO

IN PSALMUM XL.

Sermo ad plebem².

I. QUONIAM solemnis dies Martyrum illuxit, propter gloriam passionis Christi Imperatoris Martyrum, qui sibi non pepercit, militibus imperans pugnam, sed prior pugnavit, prior yicit, ut pugnantes exemplo suo hortaretur, et majestate sua adjuvaret, et promissione coronaret: audiamus aliquid in isto Psalmo quod pertineat ad ejus passionem. Commendamus autem sæpius, nec nos piget iterare quod vobis utile est retinere, Dominum nostrum Jesum Christum plerumque loqui ex se, id est, ex persona sua quod est caput nostrum; plerumque ex persona corporis sui, quod sumus nos et Ecclesia ejus; sed ita quasi ex unius hominis ore sonare verba, ut intelligamus caput et corpus in unitate integritatis consistere, nec separari ab invicem; tanquam conjugium illud, de quo dictum est:

¹ Matth. xxiv, 22. — ² Hic Sermo ad plebem in Martyrum festivitate habitus.

« Erunt duo in carne una¹. » Si ergo agnoscimus duos in carne una, agnoscamus duos in voce una. Primo quod legenti respondentem cantavimus, quanquam de medio Psalmo sit, hinc tamen sermonis ducamus exordium. « Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus². » Persona est hæc Domini nostri Jesu Christi: sed videte, si non ibi intelliguntur et membra. Dictum est et hoc cum ipse Dominus noster hic in terra in carne ambularet. Cum enim viderent multitudinem sequi auctoritatem ejus, et divinitatem et majestatem miraculis præsentatam; cum hoc viderent Judæi, de quibus ipse Dominus similitudinem posuit, quia dixerunt: « Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas³: » dixerunt apud semetipsos, id est, inter se, unde pontificis illius Caiphæ vox est: « Videtis quod turba multa eum sequitur, et sæculum post illum abiit: si dimiserimus eum vivere, venient Romani, et tollent nobis et locum et gentem. Expediit ut unus moriatur homo, quam tota gens pereat. » Evangelista autem verba nescientis quid diceret, exposuit nobis, et ait: « Hoc autem non a se dixit, sed cum esset pontifex prophetavit, quia oportebat Jesum mori pro populo et gente⁴. » Tamen illi cum viderent populum postillum ire, dixerunt: « Quando morietur, et peribit nomen ejus⁵. » Id est, cum occiderimus eum, jam nomen ejus non erit in terra, nec seducet aliquos mortuus; sed ipsa ejus interfectione intelligent homines, quia hominem sequebantur, quia non erat in eo spes salutis; et deserent nomen ejus, et non erit. Mortuus est, et non periit nomen ejus, sed seminatum est nomen ejus: mortuus est, sed granum fuit, quo mortificato seges continuo exurgeret⁶. Glorificato ergo Domino

¹ Gen. ii, 24, et Ephes. v, 31. — ² Psal. xl, 6. — ³ Matth. xxi, 38. — ⁴ Joan. xi, 47-51. — ⁵ Psal. xl, 6. — ⁶ Joan. xii, 25.